

bapl

ELEGANTIORIS LATINITATIS THEORIA  
E  
CICERONE & QUINTILIANO.

SPECIMEN ACADEMICUM,

CUJUS

PARTEM PRIOREM,

*Suffragio Amplisf. Senat. Philos. in Imper. ad Auram  
Athenaeo,*

PUBLICE EXAMINANDAM SISTUNT

AUCTOR

CAROLUS GEORG. EKMARK,

*Philos. Magist. Conreft. Schol. Triv. Lovif.*

ET

RESPONDENS

PETRUS GUSTAVUS BONSDORFF,

*Wiburgensis.*

In Audit. Med. die XXII Nov. MDCCXI.

H A M S.

---

ABOÆ, TYPIS FRENCKELLIANIS.





*Lenge sequere & vestigia semper adora.*

STAT.

§. I.

**D**ivina illa cogitandi facultate prædicti, cum primum in societas sese conferrent homines, quo sensa mentis aliis explicare possent, quamcumque ideam mente conceptam, nomine quodam insignebant: unde linguarum omnium origo. Quarum quidem, indole atque facie tam diversarum, totoque interdum cœlo differentium, aliæ, mortuæ quasi, quamvis una cum gentibus, quas inter floruerunt, vigore jampridem desierunt, tamen ex scriptis ad nostra tempora delatis, habitum earum pro diversa ætate diversissimum indicantibus, adhuc innotescunt; aliæ contra, ut ita dicam, vivunt, & ut in usu communī versantur, ita frequentibus obnoxiae sunt mutationibus. Inopes nempe primum, cum ideis exprimendis vocabula desint, ex aliis ditionibus linguis voces sibi assumunt atque adoptant; excultis deinde scientiis artibusque, grandiore noyatorum

A

vo-

vocabulorum silva ditantur; expugnatis denique, vel expugnatis peregrinis gentibus, maximam sibi immisceri patiuntur barbarorum vocabulorum turbam. Quibus rebus efficitur, ut linguae, quoad vivant, formam atque rationem mirum in modum commutantes, vel plane depraventur & detorqueantur, vel, quod interdum accidit, cultiores reddantur. Quod si quis itaque, linguis tam mortuis quam vivis diligentius examinandis, attentionem adhibuerit philosophicam, non potest non ipsas, alio tempore elegantiore habitu ornatas, alio contra, fardida veste amictas deprehendere, earumque faciem, aut bellam aut deformem, tamquam expressam cultus litterarum artiumque imaginem, maximo jure habere. His de linguarum habitu in genere præmissis, ad metam quam nobis adtingendam proposuimus, proprius accedemus, linguam nempe Latialem solam amplexuri, quam, tamquam sui propriam, sibi haud temere vindicarunt eruditii, quaque nullam fere per totum orbem terrarum, a Græca si discesseris, cultiorem, nullam cui plures insint veneres, riperies; in primis cum & genitrix plurimarum adhuc viventium linguarum merito censeatur, & tot taliaque uberrime protulerit scripta omnium generum longe præstantissima, ut qui scientiarum litterarumque amore flagret, ipsam necessario maximo prosequatur honore, ejusque penitiori cognitioni sedulam navandam esse operam existimet. Cujus linguae laudatissimæ, quæ superlunt monumenta funeri ipsius superstitia, hucusque servata, alia primum, cana sua antiquitate atque horrido habitu lectorem quemvis vix non absterrent; alia dein, ornatissima, lauissimaque veste induta, nativa veluti quadam venusta, te & genuino lepore quoslibet lectionem adgressos mirifice oblectant; alia postea, fucato colore, factiis ornamentis & affectata elegantia, efficiunt, ut qui ipsorum legendendo-

gendorum cupidus fuerit, eadem brevi reformidans, statim relinquat; alia denique, incomtissimam barbariem redolentia, pristinum linguæ nitorem inquinato sermonis genere ita contaminatum sistunt, ut, quæ legantur, plane sint indigna. Ex omnibus vero quæ exstant hujus linguæ monumentis, dignitate longe eminent opera Auctorum classicorum, aureæ sic dictæ ætatis, v. c. Virgilii, Ovidii, Horatii, Terentii, Livii, Cælaris, cet. in primis M. Tullii Ciceronis, qui, ut purissime, emendatissime, elegantissime locutus est atque scripsit, ita maxima, eaque meritissima litteratum & eloquentiæ laude etiamnum floret; ad cujus scripta, tamquam ad obrussam puritatis & elegantiæ latiniæ orationem exigere dehemus. Nam ceteros, quorum maxima pars erant poëæ, licentiae in scribendo interdum iusto plus indulsisse constat, cum e contrario neminem fugiat, Ciceronem, ut oratorem perfectissimum omnibusque numeris absolutum, subtilitati sermonis atque elegantia in primis studuisse. Cujus etiam divinas pñne dicendi ac scribendi elegantias, pro viribus tenuissimis, hac in disfertatione exponere conabimur. Quod vero ad præcepta linguæ grammatica adtinet, quum ipsa satis accurata & plane suffici entia, ex scriptis Ciceronianis haurire non liceat, Quintilianum, magnum illum Tullii admiratorem ea de re copiosius distinctiusque præcipientem, consullemus; neque ipsum, de ceteris rebus ad elegantiam pertinentibus, differenter præteribimus. Cum vero elegantioris latiniatis theoriam condendam in nos sumfimus, unica animi nostri intentio ea fuit, ut tironibus, qui adyta linguæ ditissimæ nondum intrarint, viam monstraremus, qua incidentes perfectiorem sibi comparare possent latiniratis cognitionem. Quare, Ciceronem & Quintilianum semper ante oculos habentes, elegantia latini sermonis præcepta e genuinis fontibus haurire,

eademque fusus quam Cel. Ernesti, (a) pressius quam Schellerus (b), distinctius quam Heiniccius (c), tradere, in annum induximus. Hac autem in materie, novitatis quidem haud capace, sed subactum desiderante judicium, dum vires ingenioli pericitamur, benvolam lectorum candidorum expetimus interpretationem.

## §. II.

Quid *Elegantia* latinitatis generatim per se sit, quibusque continetur rebus, antea nobis notum ac perspicuum esse debet, quam rationem ipsius, indolemque peculiarem rite explicare possumus. Illus igitur distinctorem nullam formate nobis possumus ideam, quam eandem ex ipsis scriptis Ciceronianis eruendo. Quare, quid per *Elegantiam* intellexerit Cicero, videbimus. Qui in primarias propriasque vocabulorum notiones seu Etymologiam inquirere cupit, facile sibi persuadebit, nomen *elegantiae* verbo *eligere* originem debere, id quod Cicero etiam pluribus in locis, partim aperte docet (d), partim innuere videtur (e, unde liquido patet: vocabulum istud, & personis, & rebus, merito attribui posse, dummodo de delectu quodam, subacti judicii ope, ornatus ac lauitiae causa instituto, sit sermo. Sic vitæ communi,

quate-

(a) Init. rhetor. Edit. 5. P. II. C. 4.

(b) Praecept. Stili bene latini.

(c) Fundam. stili cultior, cum animadvy. Gesneri &amp; observ. Niclas.

(d) Edit. Ernesti, Nat. Deor. L. II. C. 28. §. 72.

(e) Opt. gen. or. C. 2, in princ.

\* \* \*

quatenus moribus honestis conspicua est, tribuitur *elegan-*  
*tia*, & est fere morum integritas ac innocentia (f), ma-  
ximo enim delectu honeste agenti opus est. Artes etiam  
ingenuæ & liberales continent *elegantiam*, quæ ab illibe-  
ralibus abest (g). Illæ nempe, quibus acumen ac subtili-  
tas inest, quæ quidem ratione utuntur, exactissimum mul-  
tarum rerum delectum desiderant; hæ contra, corporis  
tantum laboribus, sine delectu quodam, perficiuntur. Phi-  
losophis quoque convenit *elegantia*, quippe qui in expli-  
candis & partiendis rebus delectum adhibere debent (h).  
Quin etiam omnino scriptoribus omnium generum,  
dummodo apte res enarrant atque explicent, tribuitur *elegan-*  
*tia* cum *subtilitate* conjuncta (i); quæ in eo cernitur,  
explicante Cel. Ernesti, ut nihil superfluum, nihil curtum,  
nihil falsum sit, omnia vero recta, sed non magnopere  
ornata (k). Quæ cum ita sint, vocabulum *elegantiae* ad or-  
ationis habitum transferre si velimus, tales necesse est  
formemus nobis ejus ideam: ut sit unctior quædam splen-  
didiorque consuetudo loquendi (l), quæ simul facit, ut u-  
numquodque pure & aperte dici videatur (m), quæque in eo  
cernitur, si sermo sit purus & latinus, si dilucide & pla-  
ne dicatur, si quid deceat circumspiciatur (n). Quæ ele-  
gan.

---

f) Or. pro P. Sulla. C. 28. 79.

g) de Or. L. 1. C. 2. 5. & Fin. bon. & mal. L. III. C. 2. in princ.

h) Ibidem L. II. C. 9. 27.

i) Div. L. IV. Ep. 4, b. & de Or. L. II. C. 7. 28.

k) Cfr. Or. C. 23, 78.

l) Brut. C. 20, 78.

m) Ad Herenn. L. IV. C. 12, 17.

n) Or. C. 23, 79.

*gantia* orationis distribuitur in latinitatem & explanatio-  
nem (o). *Latinitas* (p) continet solam puritatem gram-  
maticam; sed *explanatio*, præter perspicuitatem logicam,  
quæ ejus est pars, id simul quod decet respicit, quod  
munditiem rhetorican appellare lobet. Quorum prima  
duo facilem habent cognitionem (q), tertium vero illud,  
*quid deceat*, id est, in quo cardo rei vertitur, in quo ele-  
gantia fere tota quanta cernitur. Sed qua in re consistat  
illud *decorum*, difficillimum est dictu, & cultioris quisque  
ingenii homo, quamquam illud cernere facile possit, in  
ipso tamen definiendo dubius sæpe hæredit. Urbanita-  
tis sive venustatis sive munditiei nomine, illud insignire  
mos est; sed quæ est illa urbanitas? Cicero ipse negat  
se istam definire posse, eamque *sphere* quendam appelle-  
bat (r). Quem quidem nos, nobis ea de re judicium  
ferre si liceat, in recto, subtili atque svavi vocabulorum  
ac locutionum, quæ in cœtu tantum politiorum homi-  
num vigent, usu, francogallice *le bon ton*, quin ponamus,  
nulli dubitamus (s). In omnibus itaque elegantiae parti-  
bus magnam habet delectus vim; qui vero, si justus e-  
rit, hoc est: si inter plura vocabula ac locutiones, opti-  
ma quæque eligentur, quæ scilicet puritate, perspicuitate  
& venustate maxime gaudeant, a sensu quodam boni at-  
que

(o) Ad Herenn. I. c.

(p) Vocabulum *latinitas* heic sumitur strictiore sensu, & puritatem tan-  
tum in Latiali lingua significat, id quod *ελληνισμός* in Graeca. La-  
tius sumptum, idem est se sermo latinus.

(q) de Or. L. III. C. 10, 38.

(r) Brut. C. 46, 172.

(s) Cfr. Urbanitatis definitionem apud Quint. Inst. Orat. Edit. Gesner.  
L. VI. C. 3, 107. Item Ernesti Isit. Rhet. P. II. C. 1. §. 299.

que pulchri subactoque ingenio pendeat, necesse est; quamobrem a sententia Cel. Schelleri, qui Tullium respiciens, elegantiam appellat *Gustum*, theod. den. *Geschmack* (*t*), vernacule *Graf*, non solum nulli distamus, sed contra, eandem toto animo amplectimur. Quum autem Gustus ille per totum orationis habitum vim exserat suam, difficile est ad determinandum, utrum præcepta elegantiarum ornatum etiam orationis floresque ac cincinnos comprehendant, an non. Cel. Schellerus quidem, elegantiam a subtilitate divellens, statuit: omnem eloquentiam, latinam putata, ad stilum bene seu eleganter latinum pertinere (*u*); cui tamen sententiae suffragari nos vix saltem audemus, quoniam Tullius elegantiam orationis cum subtilitate jungit, que, ut supra diximus, pompam atque magnificen-  
tiam orationis abesse haud difficulter patitur. Quare copiam dicendi, periodorum structuram, numerum orationum & doctrinam de tropis & figuris, ad ornatum potius orationis pertinere censemus, quam ad elegantiam (*v*). Attamen si non sumus qui plane negemus, elegantiam & magnificen-  
tiam simul, orationi inesse posse; nam haec illam non tollit. Si ornamenta aptissima sunt, h. e. cum delectu adhucbita, adest elegantia, sin minus, abest. Neque Cel. Gesnero adhuc possumus, qui interdum ita loquitur, quasi credat, elegantiam per se singulis verbis nonnullis inesse (*x*); nam non solum persuasum nobis habemus, vocabulum extra contextum, aliud alio pulchrius

non

*t*) Præcept. sili, Proœm.*u*) Schell. I. c.*v*) Neque ipsa ad elegantiam refert Cel. Ernesti.*x*) Animadv. ad Heinoc. fund. fil.

non esse; neque verborum ornatum inveniri posse, non expressis sententiis (y); verum etiam usi verbo vitium saepius quam virtutem inesse credimus. Licet enim dicamus aliquid proprium, speciosum, sublime, nihil tamen horum, nisi in complexu loquendi serieque contingit (z).

### § III.

His de elegantia generatim disputatis, de ratione atque indole singularum ejus partium pauca jam monebimus; & quod ad primam sive puritatem grammaticam adtinet, ipsam eo modo tractabimus, cuius anslam nobis presentant precepta grammatices, quae in justa vocabulorum *scriptura, flexione & constructione* versantur. Quam artem grammaticam ut tenuem ac jejunam qui cavillantur, minus esse ferendos cum Quintiliano censemus: quae nisi fideliter fundamenta jecerit, quidquid superstruxeris profecto corruerit; quæque necessaria pueris, jucunda senibus, dulcis secretorum comes, & quæ vel sola omni studiorum genere plus habeat operis quam ostentationis (a). At artem hancce laudaram, eadem tractare ratione, qua ipsam tractavit Quintilianus, ut scilicet poëtarum enarrationem tamquam ejus partem, propterea quæ omnes fere scientias, totam philosophiam atque eloquentiam huic arti subjectas habeamus; ut de vetustissimo litterarum usu & potestate disseramus, ut in originem partium orationis

y) Cis. de Or. L. III. C. 6, 24. Cfr. L. I, C. 12, 51.

z) Quint. Inst. Or. L. I. C. 5, 3.

a) Quint. I. c. C. 4, 5.

nis inquiramus, & quæ primæ fuerint, quæ postea accesserint, itemque quænam antiqua earum vis fuerit, describamus; ut origines nominum scrutemur; ut de septimo apud Latinos calu, de differentia participiorum & verbi appellationum cet. moneamus, nostræ non convenit attati (b). Neque nostrum esse credimus, e libris grammaticis, qui de lingua, prout nunc temporis ejus est facies, præcipiunt, regulas repetere; nam ipsos consulere possunt tirones; sed quum præcepta grammatica ita generalia plenumque sint, ut externum tantum linguæ habitum spectent, resque specialiores maximi interdum ponderis prætereant; nobis injunctum esse duximus, in ea quæ præterierint Grammatici, adtentionem tironum advocare, eosque a vi-  
tiis difficilius cavendis abstrahere.

Orthographia, ut omnibus litterariæ reipublicæ civibus notissimum est, ita solet definiri, ut sit recte scribendi ac pronuntiandi scientia (c); sed quænam illa regula sit, qua nitatur hæc scientia, nondum inter eruditos convenit; quam enim Quintilianus tradidit regulam, his verbis: *ego (nisi quod consuetudo obtinerit) sic scribendum quidque judico, quomodo sonat* (d) de illis tantum linguis quæ plu adhuc vigent valere, neminem fugit. In hac itaque abstrusiore re, ut in omnibus aliis, quæ sermonem spestant latiale, fugiendum est ad *rationem h. e etymologiam & analogiam, vetustatem, auctoritatem & consuetudinem* (e). Auctoritas vero priscorum hac in re non mul-

B

tum

b) Perlegas apud Quint. lib. cit. Cap. 4.

c) Quint. L. I. C. 7. in princ.

d) l. c. §. 30.

e) Quint. C. 6. in princ.

tum juvat; nam manus celeberrimorum Auctorum, Ciceronis, Livii, Cæsaris cet. non habemus, & quæ de eorum pronuntiandi ratione nota habemus, docent: eam a nostra loquendi consuetudine maxime abhorrentem fuisse. Scimus nempe omnem pronunciationem latialis linguae constitisse in litteratum pronunciatione & tono s. accentu. Sic novimus, in consonantibus: B cum P, D cum T, saepissime confusa; H in medio & M in fine vix audita fuisse; C ut vernacula K, minime ut Z, T ubique, etiam ante I, sequente vocali, dure, non molliter ut Z, pronuntiata fuisse, cet. In vocalibus: A in E & I, E in I, U in O, sape commutata fuisse. In diphthongis: utramque vocalem, in primis priorem auditam fuisse. In tono s. accentu: omnes breves syllabas ita correptas fuisse, ut vix audirentur; longas contra sic productas, ut vocalis dupliciter pronuntiaretur (f). Scriptura etiam priscorum si nobis pateret; si notum nobis eset: Plautum *aula* pro: *olla*, *volgo* pro: *vulgo*; Lucretium *terrai* pro: *terre* cet. scriptisse, quid inde solatii? nihil sane nisi studio antiquitatis satisfaceret; nam Orthographia quoque consuetudini fervit, ideoque sape mutata est (g). Cicero jam suo tempore, loquendi usui concedens, *pulchrum* pro antiquo *pulcro* scripsit (h). At jam a loquendi consuetudine Quintiliani axi abhorrebat id quod Ciceronis temporibus in usu fuit, nempe: ut S littera quoties media vocalium longarum, aut subjecta longis eset, geminaretur, v. c. *cassus, divisiones*: & quod Quincilianus temporibus usu floruit

f) De his vide plura in Schelleri Praec. Stili P. I. C. I. Cfr. Quint. Inst. Or. L. I. C. 4 & 7.

g) Quint. L. I. C. 7, 11,

h) Or. C. 48, 162.

ruit, nostri ævi consuetudini haud convenit, nempe: longas syllabas in vocabulis ambiguis apice distinguere, v. c. *malus* arbor, ne cum *malus*, homine non bono, confundatur; item *cum*, si tempus significat per Q; si comitem, per C; si vero causam, per Q ac duas sequentes U scribere (*i*). Neque a vetustis linguae monumentis, *Codicibus*, *Numis*, *Lapidibus*, certam scripturæ legem arcessere licet, nam Librarij plerumque indoctissimi fuerunt, quibus haud doctiores erant Inscriptionum auctores: neque semper Numi a Criticis linguaeque peritis signati sunt, id quod ex scriptura eorum variante mendisque plena satis superque patet (*k*). Certiore procul dubio orthographiae regulam nobis præbet Etymologia (*l*), cui vero, quia non ubique satis expedita est, vicariam quodammodo operam præstabit analogia: quæ si etiam lateat, tunc ad monumenta, & inter ea in primis numos, fugiendum est; neque spernenda est auctoritas Græcorum & prosodiæ. Subjiciemus aliquot exempla rectioris scripturæ, ex Etymologia pri-  
mum: *Adolescens* rectius scribitur quam *Adulescens*, quod Lapidæ & Librarii dederunt; est enim ab *ad* & *olesco*, theodisce: Aufschéßling, vernacule, si plebejo hoc utar vocabulo, Wäxtlings-Gosse. *Exspectare* rectius quam ex-  
pectare; derivatur nempe a *specio*; sic quoque Quintilianus judicat (*m*). *Cetera* rectum, non cætera; est enim a-

B 2

græ-

*i)* Quint. l. c. §. 20, 2, 5, 6.

*k)* Vid. Schell, præc. fil. P. l. C. 1.

*D*a Cic. *notatio* dicta, ab aliis *originatio* de qua vide Quint. l. I. C. 6, 28. ex antiquis diligens fuit hac in re Varro, quem emendarunt Jof. Scaliger & Vossius.

*m)* Inst. Or. l. I. C. 7, 4.

græco ἔργα, cuius adspiratio sæpe in C abit; neque conuenit, ut voluerunt nonnulli, hoc esse contractum a νοστρού ἔργα (& alia); nam Cicero posuit et cetera (n), quod pleonasmus fuisset puerilis, si cetera jam & alia indicasset. Ex analogia deinde, cuius vis est, ut id quod dubium est, ad aliquid simile, de quo non queritur, referat (o), concludere licet: ut *conditio* scribitur, ita *auditio*, non *audicio*. Ex Numis postea novimus: *Postumus* rectum esse; pravum *Posthumus* (p). *Letum* porro, cuius origo incerta rectius quam lethum scribi, docent Codices MSS. *Auctoritas* quoque rectius est quam *authoritas*; nam apud Dionem Cassium *auctoritas* scriptum legitur. Svaldet denique prosodia *præces* scribere, non *præces*; est enim prior syllaba brevis. Quicumque tamen sic, vel Etymologiæ vel Analogiæ, vel certarum aut personarum, aut rerum auctoritati hæret, ut sui temporis eruditorum in scribendo ac loquendo consensui, h. e. consuetudini (q) vim inferat, valde sane peccat; nam, præcipiente Fabio, consuetudini servire debet Orthographia. Sic, qui archaismum studiose lectans, *seine*, *plostrum*, malit, pro: *fine*, *plastrum*, quique euphoniam negligens, *lapsus*, *corruuit*, *neclego*, pro: *lapsus*, *corruuit*, *negligo*, scribat, barbarismi sane vitium committit, nec a mala affectatione vacuus est; nam abolita atque abrogata retinere, insolentia cujusdam est, & frivola in parvis jactantia (r). In dividendis vocabulis,

(n) De Or. L. II. C. 32, 141.

(o) Quint. L. I. C. 6, 4.

(p) Vide Spanheim de usu &amp; præf. numism. Dis. III.

(q) Quint. l. c. §. 45.

(r) Quint. l. c. §. 20.

lis, derivationem quantum liceat, sequamur, id quod Quintilianus etiam probat. Sic, *ex-specto, abs-tenuis, aru-plex, ab-igo* cet. (s) Hactenus de Orthographia.

Quum adhuc usū vigeret lingua Latialis, contigit quoque ei idem, quod vivis linguis fæpissime contingere solet, ut peregrinæ voces permultæ, v. c. *rbeda, petoritum*, ex Gallica, *mappa* ex Punica, *gurdus* ex Hispanica lingua, innumeræ præterea ex Græco sermone, unde maxima ex parte Romanus conversus est, irreperent; unde quæstio primum orta est, an eadem ratione per casus duci externas, qua vernaculae, conveniret; deinde magna inter eruditos eadem de re disensio. Veteres enim Græcis nominibus, (de iis heic præcipue sermo) latinas, recentiores, Græcas potius declinationes dare instituebant. Quintiliano placuit rationem latinam, quoisque decor pateretur, sequi; neque tamen Græca figura, modo decens & consuetudini non repugnans esset, ei omnino displicuit (t). Quod vero ad vocabula latina, diu jäm usū recepta adserinet, si quis, id quod in linguis vivis, ubi paucissimi grammaticarū bene tenent, fæpissime accidere solet, in nominum & verborum aut flexione, aut genere, dubius hæreat, analogiam consulendam s vadet Fabius, docetque, per comparationem similiū in extremis syllabis, genus & declinationem in nominibus, in verbis conjugationem aliquid deprehendi; per diminutionem, genus tantum nominum erui posse v. c. ut *patris masculinum*, ita *funis* præ-

s) Quint. L. I. C. 7. 4, 9.

t) Quint. L. I. C. §. 55 sqq.

præterea, eandem, quæ *τε* *manus* sit, etiam *τε* *domus* es-  
se declinationem; ut *funiculus* masculinum, ita *funis*. In  
verbis: omnia quæ E & O litteris fatendi (indicativo) mo-  
do terminentur, eadem, si in infinitis E litteram media  
syllaba acceperint, utique productam habere: *prandeo, pen-  
deo: prandere, pendere;* ea vero quæ O solam habeant,  
dummodo per eandem E litteram in infinito exeant, bre-  
via fieri: *lego, dico: legere, dicere.* Attramen tantam ana-  
logiæ vim non tribuit Fabius, ut per omnia duci ejus ra-  
tio possit, cum sibi ipsa plurimis in locis repugnet, v. c.  
statuitur: nomina feminina, singulare nominativo US vel  
ES litteris finita, numquam genitivo casti in *ris* syllabam  
terminari; facit tamen *Venus veneris; Ceres cereris.* Quid?  
quæ tota positionis ejusdem, in diversos flexus exeunt.  
v. c. *Alba* facit *albanus & albensis; Volo, volui & volavi.*  
At de analogiæ incertitudine non est quod mitemur; non  
enim cum primum fingerentur homines, analogia de-  
missa cœlo formam loquendi dedit, sed inventa est post-  
quam loquebantur, & notatum in sermone, quid quo mo-  
do caderet. Itaque non ratione nititur, sed exemplo; nec  
lex est loquendi, sed observatio; ut ipsam analogiam nul-  
la alia res fecerit quam consuetudo (n). Nostræ etiam,  
qua nunc vivitur, ætati, quum jam emortua sit lingua  
latinalis, alijs rebus opus esse vix videretur, quam bonis li-  
bris grammaticis lexicisque, qui vocabulorum flectendo,  
rum exactissimas traderent regulas. At multis de rebus  
interdum, aut minus recte, aut nihil præcipiunt libelli gram-  
matici vulgares atque lexica; quare, ubi hæc vulgo ta-  
cent, ibi regulas subministrare nostrum erit, vitia  
nimium quædam in vocibus flectendis, a quibus  
sibi magnopere caveat tiro, brevissimis recensendo. Ge-  
ni-

---

(n) Quint. L. I. C. 6, 3-17.

nitivus & ablativus casus pluralis nominum quinta declinationis rarissime apud priscos in usu fuerunt, præterquam in *Dies & res*; quapropter nec facile dixit Cicero *specierum & speciebus* (v). *Ambo* & *duo* rectius sunt accusativi casus plurales masculinū, quam *ambos* & *duos*. Sic Fullius dixit: *præter duo nos* (x), & *quos — ambo unice diligimus* (y). Meminerimus quoque nominum alia pluraliter non dici; alia contra singulari numero; alia casibus quibusdam carere; verba quedam temporibus quibusdam, quedam nomina incerta esse declinationis; quedam rectius contracte dici quam piene (z). At sufficiat de flexione.

Quo justæ fermentur enuntiationes, necesse est, vocabulorum aliud aliū ita jungatur, ut sibi invicem, cert modo, genio linguae regolisque usu recebris conveniente, apte respondeant, ut aliis ob causam aliud mutationis aliquid patiatur, & in certo, vel casu, vel numero, vel modo, cst. ponatur. Quibus in rebus cernitur constructio vocum grammatica, quæ in libellis grammaticis syntaxeos nomine appellantur. E quibus, artis hujusce generalia repetere præcepta locus non patitur, ipsos adeant tirones; sed ut supra de flexione locuti sumus, heic etiam, rerum a Grammaticis præteriorum, aut minus accurate traditarum mentionem faciemus; quas inter, præcipue no-

tan-

x) *Topica* C. 7. in princ.

x) ad *Div.* L. VII. Ep. 25.

y) *Ibid.* L. V. Ep. 8. p. 65.

z) Vide *Quint.* L. I. C. 6. 25—28. & *Cic.* *Or.* C. 46. 156. & C. 47. 157.

tandæ sunt, doctrina de vera temporum grammaticorum vi, recto usu, legitima consecutione, & de pronomine relativō conjunctivū regente; deinde, errores quoque in constructione receptos recensēbimus. Probe tenendum est: *Præsens* tempus ubique adhiberi debere, si fermo de re præsenti sit, licet vernacula negligentior interdum loco ejus imperfecto utatur; v. c. *Jam si quis objicit*, traditur vulgo: om̄ nū nāgon flūsse inwānda; male latine reddidistis: *objiceret*; nam vocabulum *jam* indicat rem præsentem. *Imperfectum* loquitur de actione adhuc durante, cui ideo a priscis sēpissime præfigitur particula *dum* durationem notans: v. c. *dum veniebam*, pater acclamavit. At istud tempus cum *perfecto* & *plusquamperfecto* haud raro confundit vernacula: v. c. *cum filius venisset*, *lētatus est pater*, vulgo vertitur: dā sonen lōm, gladde sig sadren; male ad exemplum vernacula dixistis: *veniret*, *letabatur*; nam utrumque actionem indicat iamjam perfectam; illud cum adjectone alius actionis post hanc secuta; quod est nota *plusquamperfecti*, hoc sine alia actione secuta, id quod *perfectum* indicat. Quod ad *futura* adtinet, quorum tria existant: *simplex* videlicet, *periphrasticum* & *exactum*, tironum maxime interest observare: priora duo loqui de actione quadam, cui vel nulla alia, vel talis tantum addatur, quæ cum illa simul fiat, v. c. *emam* seu *emturus sum librum*, sive, *quando emam*, *pecuniam petam*; exactum vero seu *perfecto-fututum* (a) adhiberi tantum posse, si actioni futuræ alia res sequens addatur, cuius respectu, ipsa actio futura pro finita habeatur, v. c. *ubi librum legero*, *illum tibi mittam*. Attamen non diffi-  
ten.

---

a) Perperam pro *fut.* *conj.* quod semper *periphrasticum* est, habetur: hoc inde patet quod numquam particulae *conjunctionivū* regentes ei præfiguntur,